

« Apostolorum, et vocem meam audient, quia Judæis repellentibus fidem Christi, gentiles eam devote receperunt ad prædicationem Apostolorum. »

2. — « *Alas oves,* » inquit Venerabilis Beda, « quia non solum Judæam, sed etiam gentilitatem redimere venerat. » S. Bonaventura ait : « Scilicet eligendas animas de populo gentili. »

3. — S. Thomas, in *Joan.*, ait : « Ponit fructum mortis Christi, qui est salus non solum Judæorum, sed Gentium; quia enim dixerat : *Animam meam pono pro ovibus meis*, Judæi reputantes se oves dici, juxta illud : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus*, possunt dicere quod pro eis tantum animam poneret; sed Dominus addit, dicens : quod non tantum pro eis, sed etiam pro aliis. »

Et illas oportet me adducere.

4. — « Id est, » inquit S. Bonaventura, « adducere per Apostolos, » quia Apostolorum opera idololatras ad ovile Ecclesiæ suæ reduxit, dum illos prædicatione Evangelica mediante Deo luertus fuit.

5. — « *Oportet, id est,* » ut S. Thomas exponit, « opportunum est, secundum ordinem divinæ prædestinationis ad gratiam vocari; » qui idem Angelicus Doctor, postquam sibi opposuisset locum illum Matthæi, xv, 24, insinuat : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*, prolium ad illum respondet : « Quod ad oves domus Israel tantum missus est Jesus, ut eis corporaliter prædicaret; Gentes autem adduxit per Apostolos suos. »

Et vocem meam audient.

6. — Cajetanus dicit : « Vocem meam procul dubio internam; prædicantibus enim Apostolis nunquam adductæ fuissent oves, nisi in illorum prædicationibus et miraculis infernam Christi vocem audissent. »

7. — S. Thomas Christum hæc verbis tres condiciones indicare voluisse dicit, iis necessarias, qui ad fidem et religionem Christianam accedunt; quarum prima est : « Obedientiam mandalorum Dei; » ac proinde dicit : « *Vocem meam audient, id est,* » servabunt mandata mea. *Psal.* xvii, 45 : *Populus, quem non cognovit, in auditu auris obedivit mihi.* » Secunda conditio est : Unitas charitatis, ad quam indicandam dicit : « *Fiet unum ovile, id est, una Ecclesia fidelium.* Ad *Ephes.*, iv, 5 : *Una fides, etc.* » *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* » Tertia conditio est : « Unitas fidei, et quantum ad hoc, dicit : *Et unus pastor.* »

Et fiet unum ovile, et unus pastor.

8. — Dionysius Carthusianus Ecclesiam unam vocari dicit, « propter fidei, spei, charitatisque unitatem; ipsa enim est unum mysticum corpus

« Christi, quo ab uno capite, scilicet Christo gubernatur; uno spiritu vivificatur, una lege regulatur, et uno fonte purificatur, uno pane reficitur, ab uno Patre regeneratur, ad unam patriam proficiscitur. »

9. — Lyranus ait : « Fiet una Ecclesia ex Judæis et Gentibus collecta, et unus pastor, scilicet Christus; alii enim non sunt, nisi vicarii bujus pastoris. »

Additiones.

a. — *Et alias oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, etc.* Hugo Victorinus, *lib. II Miscell.*, tit. 130, ait : « Unus pastor, unus in se et unus cum grege. » Unus in se, ut quod docet verbis, impleat operibus. Unus ut non mutetur prosperis, vel adversis. Unus cum grege, ut a subtilis non dividatur per pretiosorem cibum, vel habitum. Si vero aliquis ex his pastoribus sit improbus? Quid inde? Christum tamen representat. Unde ait D. Augustinus, *tract. xvi in Joan.*, ait : Per eos vox Christi auditur; et sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Si ergo aliquis Prælati defectuosus fuerit, cum tamen ratione officii Christum representat, ei tanquam vicem Christi gerenti obtemperandum est. Unde Petrus Damianus, *Opusc.* xii, xx, ait : « Nolite de priorum vestrorum perperam forte vivendum meritis disputare; et non quia via gradiantur, sed cujus vice fungantur, attendentes, illis in Christo humiliter obedite. »

Quod Prælati, etiam malis, tanquam si Deo obtemperemus, obtemperandum sit, S. Apostolus non solum ad Colossenses, iii, 22, verum etiam ad Ephesios, vi, 5, his verbis scribit : *Obedite dominis carnalibus cum timore, cum simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Unde aperte deducitur voluntatem et præceptum Dei agnoscendum esse ex ore eorum, qui in superioritate sunt positi. Quorum proinde voluntati subjici debemus, tametsi cæterorum timorati et virtuosè nequaquam existant. S. Clemens Pontifex hujus nominis primus, in Epistola in ad Episcopos, aliosque Ecclesiasticos, ita scribit : « Verum, quia legatione Domini fungimini, est docere populos; eorum vero est vobis obedire ut Deo. » Et quidem, ut his, quibus subjicimur, libenter obediamus, S. Bonaventura sequenti nos efficaci motivo exstimulat dicens : « Ut autem melius valeas esse obediens, cogita semper, quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam non tanquam ab homine audias, sed tanquam ab ipso Deo. » Quod ipsum S. Basilium in constitutionibus Monasticis in hæc verba tradit : « Animadvertite quid in Evangelii dicat, cum de obedientia adversus servos suos adhibenda legem sanciret : *Qui vos recipit, inquit, me recipit. Et alio in loco : Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit.* »

Divinæ quotidie voluntatis adimpletionem sollici-

tamus dicentes : *Fiat voluntas tua.* Qualiter autem hæc ipsa nobis manifestabitur? Per superiores nostros. Unde S. Bonaventura ab Alvares citatus, nos ita monet : « Quia non confidis tibi ipsi, te scire, quid velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat et dedisti manus tuas in professione, ut ipse te in viam Dei inducat. » Quo documento præmisso, Alvares in hunc discurrit modum : Doctrinam et instructionem considera, quam S. Petrus ex jussu divino impertiit Cornelio centurioni, cui Angelus apparuit. Numquid enim ille Angelus eum per se erudire poterat? Iterum S. Paulum ad Ananiam ablegavit Dominus, annon potius infusa eum divina sapientia insignisset. Ut Regina Candæis Eunucho Christiane religionis imbueret mysteriis, S. Philippum diaconum ex eo transtulit loco, in quo convertendis animalibus intentus sudebat. « Ad hæc quid, » interrogat Auctor, « nisi ut testatam sit omnibus, Deum in hominibus loqui; in illis nimirum, quos ad docendum elegit et generaliter hominibus non per seipsum, sed per homines imperare? »

b. — Sicut et unum ovile, sic et unus Pastor et unus supremus gubernator Christus Jesus. Post cujus Ascensionem, unus est pastor Petrus, unus etiam pastor Petri successor Romanus Pontifex, sub quo militant inferiores multi pastores, non toli ovili tui ille, sed singuli singulis ovilibus partibus presidentes. Si autem aliquis ex his pastoribus sit improbus, Christum tamen representat. Si ergo aliquis Prælati aut ecclesiasticus defectuosus fuerit, non tamen lacerandus, nec quidquam illi reverentiæ adimendum est. Multis ante Salvatoris Nativitatem sæculis, Psalmista, per æternæ veritatis instinctum ait : *Nolite tangere Christos meos.* *Psal.* civ, 15. Si Pater æternus plures habuisset filios, facilius equidem hujus textus foret intelligentia, præsertim si plures etiam in mundum misisset; verum tamen : *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Qui igitur prophetici oraculi hujus sensus est? Hugo Cardinalis dubium solvit, dum Christum idem astruit esse quod unctum. « Præcipue uncti Domini » dicuntur Sacerdotes, et clerici, et religiosi, quos prohibet Dominus tangi. » Quos varie offendi

posse considerat : « Tanguntur illis detrahendo et maledicendo, et debitum honorem non exhibendo. » S. Bernardinus Senensis, de sæcularium ecclesiasticis detrahentium pruritu tractans, sequentem in hæc verba S. Gregorii citat canonem : « Multi sæcularium hominum, cum plus Sacerdotum vitam, quam suam discutunt, in magnum contemptum divinarum sacramentorum crimen incurrunt. Magna enim trabe vulneratos oculos habentes, eamque negligentes, festucam tenent in aliorum conspiciunt oculis quam dum incaute festinant evellere in foveam errorum dilabuntur. » Mirum certe non est, ecclesiasticos communi mortalium massa coagulatos quandoque defecere, sed circumspeditionem notemus oportet, qua Deus antiquitus, in illorum transgressionis expiationem, offerri voluit sacrificium, *Lev.* iv, 3 : *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offerret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Multi equidem in hac victimâ offerenda, omnesque mysteriosi practicabantur ritus; sed nostro utilissima propositio favet simplicitudo, quam Sapientia increata adhibuit in hujusmodi ordinis ut viscera, intestina et excrementa illius victimæ in mundum et solitarium locum transportarentur. Interpres quidam sequens inde elicit mysterium, dum ait : « Non licere peccata sacerdotum in publicum jacere, neque in locum immundum, id est, in detractorum conventicula et in profanas et maledicas linguas; sed curandum esse, ut taceantur et omnes eorum reliquiæ charitalis igne consumantur, ac perpetuo silentio contegantur, quousque nihil remaneat, quod trahi possit in exemplum. »

Totum perecurrite Evangelium, neque tamen unquam Sacerdotes nominatim a Christo reprehensos fuisse in publico, invenietis; per ambages quidem et sub metaphora eos reprehendit, ast nusquam perdit respectum; ut scilicet cautelam nos edoceret, quo non hoc in puncto concedere oporteat : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi; quæcumque dixerint vobis servate et facite; secundum opera eorum non facite.* *Matth.*, xxxiii, 2.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 16

16. Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquatur.

19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc queritis inter vos, quia dixi, modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis: Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

VERSUS 16.

Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem.

1. — Notandum in primis est, quod Evangelia, que in hisce quatuor Dominicis sequentibus usque ad Pentecosten legi solent, desumpta sint ex celebri illo sermone, quem Christus in ultima Cena ad discipulos suos peroravit, idque ob causas diversas. *Primo*, ut omnes Christi predicationes adimpletas esse videntes, in fide ejus tanto stabilius confirmemur, et præcipue in fide Resurrectionis, cujus articulus adeo est ad credendum difficilis. *Secundo*, quia cum ultima monita, quæ a majoribus nostris, præcipue in ultimo mortis articulo nobis traduntur, summo haberi solent in pretio, ideo sancta Mater Ecclesia nobis conatur ostendere, quo in pretio et ostensione omnia illa monita habeat, quæ eidem paulo ante moriem a Christo relicta fuerant. *Tertio*, quia in morte positum est, quod post mortem pro adeunda hæreditate, legatiquæ et monitis expediendis testamenta aperiri at examinari soleant, ideo Ecclesia ad hujus imitationem, tanquam pia fidelium mater, exhortari illos velle videtur, pro adeunda hæreditate, ad quam vocati sunt, testamentum illis a Christo relictum studiose legant; unde Christus post resurrectionem suam non subito in celos ascendit, sed in terris remansit, ut S. Lucas, Act. Ap., 1, 3, scribit: *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*, ut legata expedirentur, executionique mandarentur eis relicta monita, habuit testamentum, id est, sermo in ultima cena habitus, copiose abundat. *Quarto*, ut hoc paschali tempore honorum æternorum contemplationi dedili essemus, juxta illud Apostoli monitum, *Coloss., III, 1: Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, non quæ super terram*; de hisce autem magna nobis in hisce Evangelii notitia ministratur. *Quinto*, ad præparandum corda nostra ut non dona et gratias Spiritus Sancti omnino indigne recipiamus. *Sexto*, ad gaudii Paschalis incrementum; dum enim in prima Dominica peccata absolvendi potestatem Ecclesia relictam esse audivimus: in secunda vero Filii Dei tanquam amatissimi Pastoris super grege suo superintendentiam intelligimus, in tertia quoque, id est, hodierna Dominica, celestium gaudiorum perci-

pimus perpetuitatem et brevitatem tribulationum presentium; in quarta promissum nobis audimus Spiritum Sanctum; in quinta denique formam, qua oratio a nobis instituenda est, ut exaudiamur, accipimus; ac tandem in sexta Spiritum Sanctum proxime nobis vicinum esse intelligamus; tot tantisque beneficiis et consolationibus celestibus nos cumulatos esse videntes, novis nos in hac jucunditate Paschali perfusus esse gaudiis utique experimur.

Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum, etc.

2. — Salvator noster, cap. XIV, dixerat: *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt*; quod idem hic iterum replicat. Et per hoc, ut Hugo Card. inquit: « Probat et assuefacit eos, in tristitiam a ditione nobiliter ferre ejus separationem; quæ enim predicantur, facilius feruntur, cum evenerint. »

3. — Jansenius, cap. cxxxv concord., Christum his verbis dicere voluisse asserit, tempus passionis et mortis, nec non subsequentis resurrectionis prope esse ut veniat: « Sed obscurus locutus est, tum « ut mæstos satis discipulos minus consterneret, tum ut eos præ mæstia silentes, ad interrogandum provocaret. »

4. — Glossa ord. ait: « *Modicum*, id est, parvum « tempus restat, usque ad hoc quod paliar et claudar sepulchro. » Albertus Magnus verba hæc a Redemptore nostro in ea nocte, qua tradendus erat, dicta fuisse notat: « Modicum prius de tempore « brevi instantis mortis; alterum de illo, quo man- « sit subtractus ab oculis discipulorum mortuus, « post quod breve tempus surrexit. »

5. — Lucas Brugensis ita explicat: « *Non videbitis me* secundum carnem, auferar a vobis, com- « prehensus ab inimicis, non dabitur vobis mecum « conversari, quin et ex omni conspectu vestro « subtrahar per mortem et sepulturam. » Porro tametsi nonnulli ipsorum cum in licetorum manibus conspexerint, altamen tunc non erat ei species, neque decor, vidimus eum, et non erat aspectus. « Viderunt eum quidam eorum jam comprehen- « sum, crucifixum, mortuum, ut Joan., XIX, 26. « Viderunt, sed in miseria, et in umbra mortis « constitutum, qui videndi modus cum non sit

« optabilis, non habetur pro visa, præsertim cum « subsequens sepultura qualemque etiam visum « negaverit. » Verum enimvero dicat fortasse aliquis, si ita est, quod passio ipsius tam atrox fuerit, ut de illa scriptum sit, *Thr., I, 13: Magna velut mare contritio tua*, quia igitur ratione illam, *Modicum* appellare potuit? Respondetur, quod sicut Jacobo, licet tot annis Laban pro Rachele servierit, nihilominus, *Gen., XXIX, 20: Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudinæ*; ita quoque amantissimo Redemptori nostro accidit, ac proinde cum discipuli in Emmaus contententes, nescientesque ipsum esse, qui loquebatur cum ipsis, admirarentur ipsum rerum ante biduum duntaxat præteritarum adeo ignarum esse, ut atrocissimorum tormentorum et dolorum a Jesu crucifixi toleratarum, nec non ignominiosæ mortis ipsius nullam haberet scientiam, ipsemet, quia illa omnia perpassus fuerat, respondendo subjunxit: *Quæ?* quasi vel illorum jam oblitus fuisset, vel modicum ex illis tormentis pensasset laborum, cum semper verissimum sit quod *qui amat, non laborat.*

6. — Porro primum *modicum* tempus mortis et sepulchri spectat, secundum vero illud respiciebat tempus, quo post suam resurrectionem quadraginta diebus, priusquam in celos ascenderet, in terris etiamnum commoraturus erat: « Cui intelligentiæ « bene convenit, quod pro ratione subjicit: *quia « vado ad Patrem*; ideo enim non diu, sed modico « tempore cum Apostoli post resurrectionem erant « visuri, quia iturus erat ad Patrem. » Verba sunt Jansenii.

7. — Albertus Magnus verba de Christi in Eucharistia, quam eodem vesperi instituerat, corporali presentia interpretatur, quasi Salvator dicere voluisset: « Per presentiam corporalem aperta « specie non videbitis me, quamvis corporali sub- « stantia in altari vobiscum sum, non aperta specie, « sed sub specie sacramentali. Et ita hoc tempore « videbitis me, non oculis corporis, sed cordis per « intellectum divinitatis, quia sicut promisi, *Matth., « XVII, 20*, sic in adjutorio gratiæ vobiscum sum « omnibus diebus usque ad consummationem sæ- « culi, hoc tamen tempus modicum est respectu « æternitatis. »

8. — Theophylactus Christum alludere voluisse putat ad transitum suum ex hac presentia vita ad gloriam, qui intra breve tempus subsequetur erat, ac demum ad visionem et fruitionem sui, qua electi in celo gavisuri erant: « *Pasillum, et non videbitis « me, iterum sursum et videbitis*, ad triste statim « addidit letum quiddam: *Ad Deum vado*, qui vos « juvare potest, et non pereo, sed transeo, et ad « parvum quidem tempus secessus erit, postea « autem perpetuo conversabor vobiscum. »

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis, lib. XII in Joan., ait: « *Jam non videbitis me*, scilicet qualem

« nunc videtis, utique passibilem, mortalem, cum « hominibus conversantem, humanas infirmitates « scientem, virum dolorum, et novissimum viro- « rum, talem jam non videbitis me post hoc modi- « cum, id est, post sequentibus diei horam nonam « Igitur, qui dicitur: *Iterum videbitis me*, præ- « mittit, *jam non videbitis me*; profecto humanæ « substantiæ veritatem interituram, sed naturæ « gloriæ per virtutem resurrectionis asserit im- « mutandam. »

10. — Hugo Cardinalis verba illa de absconione rei divinæ exponit, quæ nunc velata est nobis mortalibus, quoadusque hac mortalitatis carne vestiti vivimus: « *Modicum, et jam non videbitis me*, quia « absconditur nobis facies ejus, quia videbimus « per speculum in enigmate; » at vero S. Bernardo, *Serm. lxxiv in Cant.*, videtur, quod merito sancte et laudabiliter de Salvatore nostro conqueri possit, quod tempus hoc modicum vocet; dicit enim: « O modicum et modicum! o modicum lon- « gum, pie Domine! modicum dicis, quod non « videmus te! Salvum sit verbum Domini mei, « longum est et multum valde nimis; verumtamen « utrunque verum, et modicum meritis, et non « modicum votis. »

11. — Albertus Magnus ait: « Vel dicatur, *mo- « dicum* tempus esse tempus vitæ unius homini; » cui consonat, quod hic Hugo Cardinalis dicit: « *Di- « citur modicum* hæc vita præsens cujuslibet, secun- « dum illud, *I Petri, I, 6: Modicum nunc si oportet « contritari, modicum est usquequo pervenietis ad « gaudia Paradisi*, quasi dicat: et modicum est in- « colatus presentis miseriæ et modicum est dilatio « celestis patriæ. *Isaie, LIV, 7: Ad punctum in mo- « dico dereliqui te.* » S. Bonaventura citat S. Gregorium super ista verba, *Job., VI, 15: Fratres mei præterierunt me sicut torrens*, breviter et nervose ita scribentem: « Quod sine claudunt, longum non « est; » et vere si vita humana serio consideretur, momentaneæ præteritæ invenietur; unde Joannes Godefridus, sanctus Heribipolensis Episcopus in Germania, dicere solebat: « Omni momento ad ostium « æternitatis sto. » Et quidem eainam vita hæc nostra inultitur? Nimium spiritui, seu oris flatui, *Psal. ciii, 29: Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur*, at proinde vita nostra merito modicum quod appellatur. Apostolus de tempore nobis concesso ad operandum, pro salute æterna in celis comparanda, hæc phrasi, *I Cor., VI, 2*, utitur: *Eccce nunc tempus acceptabile; et quidem ne forte existimares, dictionem illam, Nunc, inadvertenter illi ex calamo elapsam fuisse, repeti iterum et dicit: *Eccce nunc dies salutis*. Quemnam obsecro supremum rerum artifex modum servavit, quanto hæc nobis animam infudit, qualemnam vite nostre producende materiam adhibuit? *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ et factus est homo**

in *animam viventem*; ergo per oris divini afflatum quemdam vita nobis indita fuit, ut exinde intelligeremus quod ad hanc nobis denuo eripiendam, aliud non requiratur quam ut habitum ducere, seu respirare nobis interdicatur.

12. — S. Augustinus, *tract. c. in Joan.*, ait: « *Modicum est hoc totum spatium, quod praesens pervolat saeculum, hoc autem modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit, tunc sentietur quam modicum fuerit.* » S. Bonaventura ait: « *Potest intelligi de modicitate durationis hujus temporis totalis, donec nec videatur Deus deorum in Sion,* » adeo ut, licet a mundi creatione quinque millia annorum elapsa fuerint et amplius, possitque mundus ad iudicium finale usque totidem annis et amplius perdurare, incarnata tamen Sapientia totum hoc spatium breve esse dicat. Albertus Magnus similiter ostendit quod totum illud tempus, quo mundus durabit, modicum quid et duratio brevissima a Christo appellatur, allegatque illum *Apoc.*, xii, 12, textum: *Descendet ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quoniam modicum tempus habet.* Tolerans ex adducto S. Augustini testimonio ita scribit: « *Primum modicum usque ad Ascensionem: Brevis ascendam ad Patrem et non me videbitis; secundum modicum ab Ascensione usque ad diem iudicii, quod modicum est collatione aeternitatis;* » potestque hoc ipsum per illum Aggæi, ii, 7, locum confirmari: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram, mare et aridum, et movebo omnes gentes, et veniet.*

13. — « *Modicum est,* » inquit S. Bonaventura, « *quia nihil est temporis, nisi nunc; gaudium hypocrite ad instar puncti.* » Porro hujus vite et temporis brevitate, cui humana stultitia tot tantisque superstruit machinas et saecula affingit: « *Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur; in cursu enim semper est, fluit et præcipitatur, ante desinit esse quam veniat;* » hæc genitilis ad nostram doctrinam Seneca.

14. — Possunt quoque verba hæc in ordine ad consolationes spirituales hoc sensu interpretari, quod scilicet Deus his nonnunquam ad majorem servorum suorum utilitatem iisdem subtrahis, in earundem locum spiritus desolationes et ariditates submittit, ita tamen ut ad easdem sibi dilectas animas consolandas redire non differat et ideo, *Habac.*, ii, 3: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit;* non vero idem reprobis contingit, qui sufficienti ad eum expectandum patientia armati non sunt, de quibus *Isaias*, xxxviii, 13, dicit: *Expecta, reexpecta, aspice, reexpecta; modicum tibi, modicum tibi.*

Modicum et non videbitis me.

15. — *Modicum hoc, tempus est tribulationum,*

quæ subito deficient, de quo *Apostolus*, II *Cor.*, iv, 17, ait: *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, et ideo Christus illud quadraginta horarum spatium, quo ab Apostolis per mortem suam absens fuit, quadraginta dierum deorsum compensavit, quod priusquam ad caelum ascenderet, cum ipsis per frequentes apparitiones conversatus fuit.*

16. — Hugo Cardinalis dicit: « *Dicit autem modicum, quod patimur, re et tempore, respectu gloriæ æternæ: Rom.*, viii, 18: *Non sunt conditiones passionis hujus temporis ad futuram gloriam.* » Modicum etiam respectu pœne debite; *Ezechiel.*, iv, 6: *Diem pro anno, diem, inquam, pro toto anno dedit tibi.* Item modicum respectu pœne Christi et Sanctorum. » Unde S. Gregorius ait: « *Facta præcedentia recolamus et graviora non erant, quia sustinemus. Ad Hebr.*, xii, 3: *Recogitate eum, qui talem sustinuit, etc.* »

17. — Ex brevitate passionum hujus presentis vite S. Bonaventura dedit, quod dum patimur, ut dolendo magis in spiritu effervescamus, oculos nostros in beatam æternitatem deligere debeamus: « *Breves anni transeunt et ideo in hoc modico tempore sustinende tribulationes, ut post modicum tempus videatur Deus et gloria. Ad punctum in modico dereliqui te et in miserationibus magnis congregabo te. Isa.*, liv, 7. »

18. — Contemplativus quidam valde devote observat, verbum illud *modicum*, in hoc Evangelio septies repeti, adeo ut ex illis unum in singulis septimana dies distribuiri possit ad meditandum, ponderando nimirum rerum omnium creaturam brevitate, instabilitatem et nullitatem. Quod si verò verbum *modicum*, cum fructu meditari volumus, adhibeamus illud ad meditandum vitam æternam, quia si damnati denuo in vitam redire et in ea brevissimum quoddam temporis spatium in sua haberet positum potestate, illud ipsum illis ulique ad caelum lucrandum, iisdemque ab inferno erimendis abunde sufficere posset. Optime igitur S. Bernardinus de Senis ita scribit: « *Vide peccator temporis pretiositatem, quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam et gloriam, a male vero expensum obligat ad tormentum æternum. O si talis mercantia ad infernum portaretur, solum tempus dimidiæ horæ ad ponendum, emerent illud pro mille mundis, si possent.* »

Additiones.

a. — *Modicum et jam non videbitis me; et iterum modicum et videbitis me.* Variant interpretes in hoc *modicum* interpretando. D. Augustinus, *tract. c.*, sic explicat: *Modicum tempus erit, quo me videbitis, scilicet ab hac hora usque ad meam Ascensionem; nam post Ascensionem, non videbitis amplius corporalibus oculis, in terris degentem, quia vado ad*

Patrem. Et tunc iterum modicum tempus erit, quo me non videbitis, scilicet totum hoc tempus quo est ab Ascensione me usque ad diem iudicii, me non videbitis: Quamvis enim corporali substantia, ait Albertus Magnus, in persona Christi vobiscum sim in Sacramento Altaris, non tamen apta specie, ut corporalibus oculis a vobis videar, ac ut me videatis. Ergo juxta S. Augustinum, modicum tempus est, quod multa millia annorum in se complectitur. Imo tota vita præsens, modicum censetur; unde subdit: « *Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: Cum finitum fuerit sentiemus quam modicum fuerit.* » Volat enim irrevocabile tempus et præ nimia velocitate fugere dicitur.

b. — Eadem Passionis nocte, qua Salvator noster Apostolis suis dixerat: *Modicum et jam non videbitis me*, interrogatus an esset Filius Dei, respondit affirmative, ac in testimonium illius, addens quod in iudicio finali comparaturus esset sedens in throno Majestatis, hæc protulit verba: *A modo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei.* Ast quia ratione in veritate dicere potuit *a modo*, cui optime notum et manifestum erat, quod ante finem mundi et universale iudicium, tot adhuc essent evolventa saecula? Responso facilis est: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ quæ præterit.* Si cum æternitate conferamus tunc decursum presentis vite, esto hæc etiam duret centum millia annorum, comparatione tamen æternitatis non est nisi unum momentum, seu unum instans imperceptibile. Bene propterea S. Petrus, cum vela considerationis suæ in totum expanderet æternitatem, ac fideles in re adeo necessaria instruere vellet, ne temporari fiderent, post mentionem extremi iudicii factam, II *Epis.*, iii, 7, scripsit: *Unum vero hoc non latent vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus.* Axioma philosophicum est: « *Magnum et parvum non sunt nisi comparative.* » Equus magnus est, al comparatione unius leporis; est vero parvus, si conferatur cum elephante. Centum anni longum nobis representant tempus respectu vite presentis; non autem respectu vite æternæ: etenim considerans alterius vite æternitatem, agnosci inter tempus et æternitatem, nullam esse proportionem: « *Finitum ad infinitum nulla est proportio.* »

c. — Salvator noster decursum multorum centenorum et forte aliquot millium annorum appellavit spatium modicum tempus brevissimum, quo durabit mundus. Unde S. Augustinus, in Homilia illa quæ legitur in Dominica III post Pascha, asserit: « *Modicum est hoc totum spatium, quo praesens pervolat saeculum; unde dicit idem ipse Evangelista in Epistola sua: Novissima hora est.* » Et in progressu ejusdem Homiliæ idem ait: « *Hoc modi-*

cum longum nobis videtur quoniam adhuc agitur. » Cum finitum fuerit, sentiemus quam modicum fuerit. » Idem S. Doctor, in Psalmum xxxvi, exponens hunc versum: *Adhuc pusillum et non erit peccator*, talem format discursum: « *Recole annos ab Adam usque in hodiernum diem; percurrere Scripturas. Hæc pene Adam ille Paradiso lapsus est, tot saecula emensa voluta sunt præterita tempora. Sic pauca quæ restant, utique pertransibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de Paradiso dimissus est, usque in hodiernum diem certe videres, vilam tuam non fuisse duram, quæ sic avolasset. Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde quantos libet annos, duo longissimum senectutem, quid est?*

d. — Consolationis plena sunt verba hæc, *modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me*, pro obliganda discipulorum tristitia, quam audita Christi morte secutura conceperant. Volebat enim piissimus Redemptor hoc ad vivum quasi demonstrare, quod aliquando reipsa erant percepturi, videlicet quod quidem magna perpersurus esset tormenta, sed considerando quod tertia die resurrecturus esset cum tanta gloria, modicum reputari quod passurus sit. Ad eundem modum, mi Christiane, in caelum oculum tuum dirige et omnia quæ hic in terris sunt facile contemnes. Salvator noster, *Math.*, vii, 14, claris verbis viam coeli laboriosam et semitam illius angustam, multisque spinis, tribulis et sentibus repletam et impeditam esse dicit: *Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam!* Et tamen idem Dominus noster, inferius, *cap. xi*, 30, ex alia parte dicit: *Jugum meum suave est et onus meum leve.* Qui ambo textus inter se contrarii esse videntur. Et quisnam erit illos inter se conciliandi modulus? Audiamus Euthymium dicentem: « *Onus præceptorum leve ob spem æternorum honorum; virtus quidem gravis est ob laborum molestiam, levis autem propter retributionem.* » Et S. Augustinus inquit, in *Psal. xciii*: « *Noli esse piger in labore breviter, et gaudebis incessabiliter; æternam vitam tibi daturus est Deus: cogita quanto labore emenda sit.* » Quot sunt qui in claustris et eremis, inter disciplinas, jejunia, cilicia aliosque humane debilitati et fragilitati intolerabiles rigoribus, vitam austerissimam ducunt? Qua autem ratione, cum tanta constantia, in eadem vita perseverant? Non alia, quam solius premii et brevissimi consideratione. *Illi quidem*, inquit S. Paulus, I *Cor.*, ix, 13, de luctatoribus, *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. In excelsis*, inquit *Isaias*, xxxiii, 16, *habitabit; monumenta sanctorum sublimitas ejus; panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.* Ubi S. Gregorius ait: « *Nam quo altius æternorum civium visione suspenditur, eo sibi fortior*

« et aliis utilior invenitur. » Rupertus Abbas Tuitiensis illam omnibus notissimam Jacob Patriarchae historiam, per omnes illius considerat circumstantias; qualiter nimirum solus e domo paterna egressus in Mesopotamiam abierit, et mysticum caeli apertum, et scalae a terra in caelum protense, Angelorumque in ea ascendentium descendentiumque obviam habuerit: « Hunc imitantur, inquit Rupertus, « quicumque depositis saeculi oneribus, nudi « et expediti ad destinatum tendunt locum, vigi-
« lantque, et in omnibus laborant, et sobrii sunt, « nihil se scire iudicantes, nisi Christum Jesum et « hunc crucifixum; et cum Apostolo dicentes: *Non « habemus hic manentem civitatem, sed futuram in-
« quirimus*; illis porta haec aperitur et ascendenti-
« bus scala haec erigitur. » Quisquis sanctorum
« confessorum, omniumque aliorum
« heroum vitas legit, qui per arctam et strictam
« perfectionis viam ambulaverunt, facile videre potest,
« qualiter adimpletum in illis fuerit illud Sapientis
« pronuntiatum: *Non contristabit justum quicquid
« acciderit ei. Prov., xii, 21*: « Spes quippe in aeterni-
« tatem animam erigit et idecirco nulla mala exte-
« rius, quae tolerat sentit, » ait S. Gregorius, *lib. VI
« Mor., xii*.

e. — Passionem tam amaram Christum vocat
« modicum. Cur hoc? Jam enim inter praevia tor-
« menta et dolores quos passurus erat, surabundan-
« tes gloriae caelestis quas et secundum humilitatem
« percepturus erat, delicias sufficienter deducebat, ex
« quo deinde passionem modicum reputabat; magis-
« que consultum hic flere, ut ibi gaudere possimus.
« Item, modicum hoc pulchre honorum terrenorum,
« respectu caelestium instabilitatem significat. Regius
« Propheta caelestis Jerosolymae gloriam, cum Jeroso-
« lyma illa in qua ipse velut rex gubernabat, collata
« contemplans, in spiritu absorptus dixit: *Ego
« autem dixi in abundantia mea: Non movebor in
« aeternum. Psal. cxxix, 7*. Quasi dicere vellet: Magni-
« ficentia, regna et diademata mundi hujus cito
« transeunt; caelestis gloria autem stabilis est: « Quia
« in illa beatitudine, » ut S. Augustinus ait, « quod
« semel adipiscitur semper tenetur. » Idem quoque
« S. Doctor alibi, in Meditationibus suis, differentiam
« qua versatur inter bona quae Deus in hac vita
« tribuit et inter illa quae largitur in altera, his ver-
« bis assignat: « Quae dat in presenti, temporalia
« sunt; quae autem in futuro saeculo se promittit
« suis daturum, aeterna sunt. Temporalia bona
« difficile acquiruntur et acquisita facile dilaban-
« tur, et quae habita sunt cum gravi sollicitudine
« custodiuntur, et cum dolore amittuntur, et amissa
« cum gravi labore recuperantur. Futuri autem
« saeculi bona nunquam amittuntur, cum gaudio et
« quiete possidentur, cum semel quis acceperit, ita
« securus erit, se ea nunquam amissurum, sicut
« certus est, vel erit, se nunquam velle amittere. »

Unde S. Bernardinus, *Serm. lxxii*, auctoritatem
quandam S. Augustini citans ait: « Impossibile
« esse, aliquem esse beatum, nisi sit securus de
« sua beatitudinis perpetuitate. » Nam ut Danielis,
« *cap. vii, 14*, ubi de beato illo regno fit mentio, scri-
« bitur: *Potestas ejus potestas aeterna, quae non aufe-
« retur et regnum ejus quod non corrumpetur*. Quae
« verba S. Bernardinus citans subjungit: « Non enim
« corruptibile est in se, seu ab intra. » Ac proinde
« notat quod S. Petrus Paradisum caelestem *gloriam
« inaccessibilem appellavit*.

f. — Non sine mysterio ponit hic Christum Domi-
« nus primo loco negationem, quod ipsum non vide-
« bunt et secundo loco affirmationem quod ipsum
« videbunt. Nam prius dicuntur tristia, et quae do-
« lorem ingerunt, ut ex Christi absentia proveniebant,
« modicum et non videbitis me, ut inde veniant pra-
« jucundiora, cum ejus praesentia et iterum videbitis
« me. Nam, transacto merore, quae veniunt majoris
« laetitiae sunt. Morale hinc eruo documentum. Peni-
« tentis enim vitae rigor et austeritas quae dolorem
« causat, ineffabiles postmodum etiam causat spiritus
« dulcedines, licet diversum oculus videatur attingere
« externus. *Quam magna multitudo dulcedinis
« tuae, Domine, quam abscondisti*, exclamabat David,
« *Ps. xx, 20*. Consolatio haec, laetitia ista interna exte-
« riorem latet oculum, sed minime occulta erat illi,
« qui dicebat: *Concidisti saecum meum, circumdediti
« me laetitia*. Hoc autem vel a myrrha derivatur: *Humilia-
« bam in jejuniis animam meam, genua mea in-
« firmata sunt a jejuniis; caro mea immutata est propter
« oleum, inducitur cilicio, cinerem tanquam panem man-
« ducabam, flagellatus sum tota die et castigatio mea
« in matutinis*. Quid igitur mirum si exultabundus
« protestetur: *Secundum multitudinem dolorum meo-
« rum in corde meo, consolationes tuae latifecerunt
« manum meam, Psal. cxxii, 19*. Multos a vita spiri-
« tuali timor avellit austeritatem, disciplinarem, vi-
« giliarum, aliorumque mortificationis exercitiorum,
« quia haec melancholiam, tristitiamque comites ha-
« bere; ast turpiter falluntur dicente S. Bernardo:
« Hinc est quod multi abominantur et fugiunt
« penitentiam; crucem quidem videntes, sed non
« etiam unctionem. » Moxque ad suos conversus
« religiosos, abstinentis maclentos, vigiliis extenua-
« tos, austeritatum rigore pallidos, sequentibus eos
« extimulat verbis: « Vos qui experti estis, ecce scitis
« quia vere crux nostra innocua est, et per gratiam
« spiritus adjuvantis, suavis et delectabilis est pe-
« nitentia nostra, et ut ila dicam, amaritudo nostra
« dulcissima. » Quam pariter multorum deceptio-
« nem S. Chrysostomus pandens inquit: « Elenim
« exteriorum quidem opinione, in merore sumus;
« at nos, quid ipsi de nobis existiment, haud atten-
« dimus, verum florentissima voluptate fruimur. »
« S. hic Doctor, ab ineunte etate usque ad lxxviii vitam
« suae continuis vacavit christianarum virtutum ad

perfectionis exercitiis, pungenti corpus suum strinxit
« cilicio, illudque disciplinis, jejuniis, orationibus,
« omnibusque aliis maceravit rigoribus, insuper atro-
« cissimas sustinuit persecutionum tempestates, in
« exilium pulsus, episcopali munere privatus, ad har-
« baras regiones ablegatus fuit, ubi mortales devora-
« rit infirmitates, ardores intolerabiles, frigora ex-
« trema, famem, sitim, nuditatem, ignominias; unde
« et ad Innocentium ipse scripsit: « Hoc in exilio,
« pesti, annonae caritati, jejuniis, orationibus, et
« continuae subjacemus. » Haec nihilominus acerbae
« fortunae alea nequidquam obstant, tanta sanctam
« hanc animam replevit caelestium dulcedinum et
« suavitatum abundantia, ut persecutionem dictam
« inter praecipua Sanctus ipse annumeravit Dei bene-
« ficia, mirabili tripudians in júbilo, de quo ad Olym-
« piadem scribens ait: « Dum ea quae in hac relega-
« tione perpassus sum, maturius mecum ipse discu-
« tio, laetificor summe, et meum praenimio solatio
« et gaudio cor exultat, similem me reputo ei qui
« thesaurum invenit pretii infiniti. »

g. — Attente considerandum est quod ait Chris-
« tus Dominus: *Modicum et non videbitis me*, quod
« erat eximie tristitiae ac doloris, cum dilectissimi
« Magistri sui praesentia carerent Apostoli. Deinde
« secundo loco ait: *Iterum videbitis me*; quod erat
« eis valde suave et gratum, cum ejus desidera-
« tissimo conspectu fruerentur, ut mereantur ipsum
« videre: *Iterum videbitis me*. Expediens enim fuit ut
« maestitia ex ejus absentia affligerentur, ut ipso
« dolore ipsaque molestia prepararentur ad ejus
« praesentiam fruendam. Ad eundem modum et nos quo-
« que Deo gratias agere debemus in adversitatibus,
« ex quibus salutem nostram promovemus. Tres pueri
« mox ut fornacem Babylonicam ingressi sunt Deo
« laudes et gratiarum actiones rependere coeperunt,
« eo quod pro honoris sui defensione ad ingentes
« haece flammam damnati fuissent. Et quidem haec
« gratiarum actio tantopere Deo placuit, ut eorum se
« societati in medio fornacis ardentis jungere volue-
« rit. Unde Nabuchodonosor ait: *Eccc video quatuor
« viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil
« corruptionis in eis est, et species quarti similis Filio
« Dei*. Quibus verbis tribulatis hierarchias associavit
« caelestes, quae supremae Majestati laudes incessanter
« gloriosae persolvunt: *Angelus Domini, scilicet
« Michael, descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem,
« et excussit flammam ignis de fornace, et fecit
« medium fornacis, quasi ventum roris flantem*. Pueris
« illis nos, si cum gratiarum actione paupertatem tole-
« raverimus, secundum merita pares constitere pote-
« rimus, dicente D. Chrysostomo: « Illis pueris inve-
« niuntur equales, quotquot paupertatem cum gra-
« tiarum actione patiuntur. »

h. — Moralis hujus textus ratio haec est: Chris-
« tus Dominus sic se substrahit a nobis, ut iterum
« redeat; nec enim patitur ut quis prematur gravius

quam par est, ac continuo labore gravetur, si est
« molestia ex absentia. *Modicum non videbitis me*,
« indeque angustia et afflictio; mox iterum Christus
« Dominus fit levamen, ac recreatio ex redemte praesentia,
« et iterum *modicum et videbitis me*. Sic Deus
« semper solet unire severitatem cum clementia,
« quod et exemplo Dei nobis, maximeque iudicibus
« faciendum est. Propheta regius, qui justitiae admi-
« nistrandae causa, thronum Israelis insidebat, simul
« ad invicem misericordiam conjungit et iudicium,
« siquidem de Deo supremo Iudice ait, *Psal. cxxxii,
« 5: Diligit misericordiam et iudicium*. « Haec autem
« duo, » inquit Hugo Cardinalis, « sicut fuerunt
« in ipso, scilicet misericordia et justitia, ita debent
« praecipue esse similiter in Praelatis; » addicitque
« sequentem S. Gregorii Magni sententiam, dicentis: « Justitia
« aut misericordia multum destituitur, si
« una sine altera teneatur; sed erga subditos inesse
« rectoribus debet, et juste consulens misericordia,
« et pie sequens disciplina. » Ceterum hanc justitia
« et misericordiae connexionem ipsemet Deus nos,
« a primis generis humani natalibus, in primis pa-
« rentibus nostris, docere voluit, quando illos post
« divini praecipii sui praevocationem, in iudicium
« advocavit. Nam ut D. Chrysostomus, *Hom. xlii in
« Gen.*, graviter considerat: « Cum posset statim pe-
« nam infligere, quam prius statuerat praevoca-
« turo, longanimitas tamen est, et suffert, et interro-
« gat, et responsum accipit, quasi ad defensionem
« eum provocans; ut arrepta occasione, etiam post
« tantam praevocationem, suam erga illum mise-
« ricordiam declarat. Quo etiam nos docet, ut
« quando et nos res jus dicimus, non tam crudeli-
« ter illis loquamur; neque ferina in illos utamur
« saevitia, sed longanimitate et misericorditer aga-
« mus, utpote nos ipsorum membris jus dicturi et
« cogitantes illos nobis secundum naturam cogna-
« tos, supplicium misericordiam temperemus. » Qui
« idem S. Doctor, postquam discursum a Deo cum
« Adamo, adversus quem paulo post promulgaturus
« erat sententiam, habitum mature ponderasset, sub-
« jungit: « Vidistis mansuetudinem et tolerantiam
« Domini? Vidistis verborum attemperationem?
« Janus illi aperire vult defensionis, ut et miseri-
« cordiam suam erga eum, qui tantum peccaverat,
« declararet. »

i. — Tormentorum in morte exanilatorum ingentia
« saecula memorans Dominus, non saeculum, sed
« perbreve et modicum tempus nominat; ait enim:
« *Modicum et jam non videbitis me*; scilicet dum vita
« spoliatur, dum mortis sub umbra absconditur, ne
« videat homo. Et hoc modicum? Et sanguineus
« sudor et foetidum salivarium nubes et opprobrio-
« riarum jacula et verbera, et spinae, et irrisiones, et
« crux, et clavi, et lancea, et sepulchrum te expec-
« tant, et hoc modicum? Et flumina illa eloquentia,
« quibus populos trahebas, suspendes, et miracula

manuum tuarum dissimulabis et dilectissimam Matrem immenso dolori permittes et coactum discipulorum gregem dabis dispergendum et coelestem faciem pulchritudinem sub sputis obnubilatam ostendere, et sanguinem totum fundes, et vitam totam perdes, et hoc modicum est? Dummodo membrum suorum vita celestis conservetur, modica et parva sunt Domino alia quevis detrimenta. Quod Christo Domino hoc et electis ejus est familiare, quibus quia mors ad aeternam, beatamque vitam palefacit introitum, ideo cum gaudio moriuntur. Regius Psaltes, *Psal. xxxv, 10*, ait: *Apud te est fons vitae*, id est, vita immortalis; hanc autem immortalem vitam in caelo nemo consequi potest, nisi prius per mortem humanitatis nostrae exuviis, spoliatus fuerit. Unde S. Ambrosius ait: « His qui mortem malam putant, aptum responsum arbitror, quia per vitam ad mortem est transitus, per mortem autem ad vitam est reditus. » Devota illa mater Symphorianum juveniculum filium suum ad constantiam in martyrio generosis hinc verbis animabat: « Nate, nate, memento aeternae vitae; caelum respice et ibi regnantem intueri; tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius. » Eandem ob causam S. Paulus merito *mori lucrum* appellavit, quia si Deus centum vel mille hujus vite miserabiles annos auferat, magnum vobis lucrum accidit per mortem, scilicet vita quaedam beata et sempiterna, de qua scribitur: *Melior est dies una in atris tuis super millia. Psal. lvi, 11*. S. Eucherius, in epistola quadam de contemptu hujus vite, de electis inquit: « Non multum refert, quando finiant vitam temporariam, qui transeunt in aeternam. »

J. — Vita nostra merito modicum quid appellatur. S. Gregorius super illa verba: *Frates mei praeterierunt me sicut torrentem*, breviter et nervose scribit: « Quod sine clauditur, longum non est. » Et quidem cuiquam vita haec nostra inimitur? Nimirum spiritui seu oris flatus: *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur*. Proinde Doctor gentium ad eruditionem nostram, *I Cor., xv, 31*, merito dicit: *Quotidie morior*. Unde et S. Bernardus super Psalmum *Qui habitat, Serm. xvii*, ait: « Haec vita qua vivimus, magis mors est; moritur homo, dicimus quando morti certissime appropinquat. Quid vero agimus, ex quo primum incipimus vivere, nisi morti propinquare et incipere a mori? »

K. — Modicum illud copiosissimam devotissimarum meditationum offert materiam. Si vero illud cum fructu meditari volumus, adhibeamus illud ad meditandam vitam aeternam, quia si damnati demum in vitam redire et in ea brevissimum quoddam temporis spatium in sua habentem potestate positum, illud ipsum illis utique ad caelum lucrandum, iisdemque ab aeterno eximendis abunde sufficere possent. Optime igitur S. Bernardinus Senensis ita

scribit: « Vide, peccator potest homo lucrari veniam, gratiam et gloriam; male vero expensum obligat ad tormentum aeternum. O si talis mercatura ad infernum portaretur! Solum tempus dimidia horae, ad penitendum emerent illud pro mille mundis si possent. » Et quia ad illam aeternitatem tanta est vicinia, per mortis infallibilitatem, temporisque illius incertitudinem, inde quam sit necessaria continua ad eandem preparatio ostenditur. Dicit Dominus, *Luc., xii, 40*: *Et vos estote parati*, ubi advertendum est Christum in tempore praesenti, non vero in futuro loqui; non enim dicit: *Eritis parati*, quia necessum est ut homo quovis momento paratus sit, siquidem quovis momento delicere potest. D. Chrysostomus, *Hom. x in II ad Tim.*, ad illud Christi dictum reflectens: *Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud*, in haec verba scribit: « Esto illic violentus, esto rapax: non minuitur quod rapitur, violenti rapiunt caelum. Violentia et rapina opus, neque in promptu et ad manus est regnum caelorum. Rapax tor hujusmodi semper sobrius, vigilique perdurat et in extra cogitationibusque versatur, ut rapere opportune possit. Nonne aspiciat ut qui in bello rapere aliquid capit noctem totam pervigil durat in armis? » Nullum est praeterendum momentum in quo vigiles non simus, quia inimicus etiam in quavis noctis hora invadere nos potest. S. Ephrem de penitentia celeriter facienda disserens inquit: « Ignoras qua hora caelestis Medicus ostium medicinae suae occludi jussurus sit. Accede, obsecro, festina ut cureris. Sol jam ad vespertinam inclinat horam et propter te adhuc expectat, ut ad mansionem occurras. »

L. — *Quia vado ad Patrem*. Divus Chrysostomus, *Hom. lxxviii*, in haec verba scribens, pulchram moralem doctrinam subministrat. « Quod si quis diligit gentis, » ait, « investigat hoc ipsum, consolatio est, quod dicit ad Patrem ire. Erat argumentum quod non periret, sed mors ejus translatio esset ad Patrem. » Cum ait: *Vado ad Patrem*, ut in ejus gloria ad dexteram ejus sedeam, magnum dat discipulis suis consolationem. Nam ex quo tam humili et contemptibili morte ad tantam gloriam esset exaltatus, magna discipulis causa dabatur gaudendi, propter spem quam inde concipere poterant, et tanto mundi contemptu aliquando ad similem gloriam pertingendi. Et tu, o Christiane, eandem spem concipere poteris, cum videas Christum, quanto magis humilitatum, eo quoque magis a Patre suo aeterno exaltatum.

M. — Cum ait Jesus Christus: *Vado ad Patrem*, magnum dat iterum discipulis suis consolationem; docet enim passionem et tormentorum libenti animo tolerationem merita, viam ad caelum complanare et facilem efficere. Dicit Apostolus, *II Tim., ii, 12*:

Fidelis sermo: *Si sustinebimus et conregnabimus*. Valde considerabilis est illa Apostoli protestatio, quae dicit: *Fidelis sermo*; per hanc enim insinuat, se in subsequentibus verbis nos nequaquam decipere, sed veridice loqui, tanquam aeterna et infallibilis veritatis et veracitatis testem; ac proinde non est quod contristemur, dum nos in varias adversitates redigi videmus, cum axioma illud Apostoli omnino indubitatum sit: *Si sustinebimus et conregnabimus*. Prius ergo praecedere debet patientia in universis et postea infallibiliter succedet beati illius regni aeterna possessio.

VERSUS 17.

Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem?

1. — Lucas Brugensis Apostolos quidem verba illa: *Vado ad Patrem*, intellexisse ait, eo quod illa alias quoque ad illos dixisset: « Sed nesciebat quomodo serviret proposito. » Neque enim mortem ejus adeo vicinam et eadem nocte superventuram, ipsumque paulo post a mortuis resurrectionem esse persuadere sibi poterant; ac proinde tam primum quam secundum *modicum* difficulter admodum ab illis intelligebatur: « In quo commendanda est eorum reverentia, » inquit S. Thomas, « ad Christum, quae tanta erat, ut non praesumerent eum interrogare; sed in hoc datur intelligi quod nondum perfectum sensum habuerant de verbis Christi, aut propter tristitiam absorbentem, aut propter verborum obscuritatem. »

2. — Chrysostomus, *Hom. xxvii in Joan.*, observat quod, quia Apostoli eorum, quae Christus dixerat, mysteria penetrare non poterant, ideo verba Christi secundum litterae corticem spectanda, quamdam illis involvere videbantur contradictionem; et ideo: « Si videbimus te, inquit, quomodo vadis? » Si vadis, quomodo videbimus? Ideo dixerunt se, quod loqueretur, ignorare, quod enim abiturus esset, norant, ignorabant autem paulo post rediturum. »

3. — Similem quoque considerationem apud Albertum Magnum his verbis invenies: « Sermo videtur sibi repugnare. » Apostoli namque inter se talem miscuisse videntur discursum: Quod si Magister noster de morte sua loqui intendat, quomodo dicere potest: *Et iterum modicum et videbitis me?* Tunc non erit modicum, quod iterum visurum eum, quia nunquam videbimus eum. Idque dicebant, quia resurrectionem ejus propediem securam esse non considerabant, siquidem in libro Sapientiae, ii, 4, scribitur: *Non est agnitus qui reversus est ab inferis*.

4. — Admiranda quoque hoc loco est Apostolorum circumspectio, qui tametsi quid Salvator hoc loquendi modo eis insinuare voluerit, minime intellexerint, ejus tamen verba negligere haudquaquam voluerint, sed frequentem super illis habuerunt inter se conferentiam, ad investigandum eorumdem mysterium et perfectam intelligentiam, qua in re optimum nobis reliquerunt exemplum, unde ediscamus, quod in pretio nobis verbum Dei habendum sit, tametsi illud prima facie non intelligamus. Origenes enim verbum Dei mannae assimilavit: « Nostrum manna, » inquit, « est verbum Dei. » Sciendum est enim, quod, quando Israelitae manna de caelis descendere viderunt, attoniti et stupefacti dixerint inter se: *Manna, Manu, quid est hoc? quid est hoc?* Unde Chrysostomus, *Hom. xli in Math.*, hanc ad praesens propositum nostrum elicit moralitatem: « Ut quotiescumque audivimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc quod audimus. »

VERSUS 18.

Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur.

1. — S. Thomas ait: « Ad hanc dubitationem modeste dispositi erant: *Nescimus*, inquit, *quid loquitur*; nam ut dicit Augustinus, aliqui non intelligentes verba Scripturae blasphemant, sensum proprium auctoritati Scripturae praeponebant; sed alii modesti, dum non intelligunt, suam ignorantiam confitentur. »

2. — Jansenius dicit: « Mutua illorum de intelligentia sermonis inquisitio declarat, quantum in eis fuerit discendi studium, quantique apud eos praereverentia apud Dominum fuerit etiam non intellectus sermo. » Non despondere coeperunt animo, nec irati fuere, multo minus deriserunt quod non intelligebant: « Nec eundem velut otiosum, aut intellectum praeterentem, verum credentes grande aliquid subesse mysterium et ignorantiam suam confiteri non verberantes, praediscendi aviditate inter se conferunt, disquirunt, disputant, quod saae discipulorum ingenitorum est ingenium; e contra vero praerignavia quidam verbum auditum, nec satis intellectum vento tradunt, alii praefastu et superbia, ea quae nesciunt, se scire simulant, ne ignari videantur. » Celebre est illud S. Augustini dictum, quod terrorem incutere potest Christianis illis, qui verbum Dei negligunt, vel in audiendo illo, vel conservando parum interni aut solliciti existunt; dicit enim S. hic doctor: « Non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audit, quam ille, qui corpus Christi in terram cadere sua negligentia permisit. »

Additiones.

a. — *Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquatur.* Si præter superius allatas super hoc *modicum* explanationes, alia adhuc morales desiderentur, dicerem, modicum quod tibi superest vitæ tempus diabolus excitare ad diligentiam, ut te eo citius in peccatum præcipitem agat; hoc quoque tuam provocare merito deberet sollicitudinem, ne te forte in muscipula comprehendat; varii enim sunt laquei, quos demon nobis capiendis tetendit, doli item et fraudes, quibus nos circumvenit et deludit, atque ad peccatum exstimulat. Quocumque te verberis pessima illius zizaniam ubique seminata reperies; ut proinde merito dicat S. Augustinus: « Quid gravius, quid malignius, quid nostro adversario nequius? Qui posuit in cælo bellum, in Paradiso fraudem, odium inter primos fratres et in omni nostro opere zizaniam « seminavit? » In cibum gulositatem immiscuit, in generationem concupiscentiam immoderatam. Labori et fatigationi, ad quam natura humana condemnata fuit, desidiam insinuit, conversationi civili malignitatem ingessit, regimini cupiditatem, dominium vero superbie copulavit. In corde falsas seminavit cogitationes, verba fraudulenta et dolosa in ore, et in cunctis aliis corporis nostri partibus iniquas operationes. « Ut breviter loquar, » inquit S. Doctor, « omnia mala mundi sua pravitate commixta. » Terra ex qua corpus nostrum fabricatum est, ad spinas et tribulos progerminandos condemnata fuit, ac proinde S. Bernardus sancte nos monet dicens: « Vide quomodo caute ambules inter spinas; plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in tua carne sunt; donec ergo, « in carne est anima, inter spinas profecto versatur et necesse est, ut patiatur inquietudines tentationum. »

b. — Nec mirum quod Apostoli mysteria tam alta capere non poterint, ex quorum intelligentia mirum in modum recreati et consolati fuissent; erant siquidem adhuc valde imperfecti, in voluntatem Dei non bene resignati, nec consolationem bene promeriti; deliciarum enim spiritualium manna in animas depluit timoratas, innocentes et perfectas, cujus reliqui minime participes efficiuntur. Non Egyptus, sed animæ penitentis desertum, consolationem gustumque spiritualium manna meruit repleri, quam ob causam David exclamat, *Psal. xxx, 20 : Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine! Sed quibus? Audite limitationem : Quam abscondisti timentibus te.* « Perfecisti eos qui sperant in te, ut timentes te habeant, » inquit Doctor Angelicus; et S. Hieronymus ait: « Multi- « farie copiosa dulcedo tua est, quam reservasti « timentibus nomen tuum. » Porro inter eas, quas suis Deus, quasque suis impertit mundus sequasibus

delicias, hanc assignat differentiam Albertus Magnus: « Temporales dulcedines omnibus sunt communes, bonis et malis; sed istæ reservantur solum « bonis. »

c. — Non intelligebant Apostoli, Spiritus Sancti gratia nondum edocti, quid esset hoc modicum, et nos presentis vitæ voluptatibus præpediti, illud *modicum* aliquando; aut non intelligimus, aut non perpendimus et utinam serio recogitaremus quod Deus nobis modicum tempus tribuit, ne illud perdamus, aut contemnamus, hoc enim justos valde reddit sollicitos; teque etiam deberet anxium reddere ob rigorosum examen, quod habiturus eris, in reddenda ratione, in illo modico tempore acceptorum honorum gratiæ, nature et fortunæ, peccatorum omissionis, aliarumque rerum quæ nunc iudicio nostro modica esse apparent. Ipsemet Christus qui in illa die Iudex futurus erit, populo suo, cui lumen et notitiam fidei suæ communicaverat, hanc propositionem die quadam promulgavit, cum juramento eandem ratificandam, dum ait: *Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum, quam illi civitati.* Horrenda profecto propositio. Ergone Christiani deteriori loco erunt quam Sodomæ et Gomorrhæ incolæ? S. Hilarius hujus a Christo pronuntiatæ sententiæ causam edisserit inquit: « Quia illis ignorato Christo « errasse sit levius, his vero inexpectabile sit, aut « prædicatum non recepisse, ut receptum non « sancte atque catholice prædicasse. »

d. — Vis scire, mi christiane, quid *modicum* hoc importet? Diabolus excitat ad diligentiam, teque vero merito excitare debet ad sollicitudinem; ne te velut in muscipula comprehendat et mors inveniat in peccatis. Unde merito hoc tibi ducas cordi regii Prophetæ consilium, ut *descendas vivens in infernum.* Hæc enim consideratio a culpa coerctet. In infernum descendunt viventes, qui cogitationes suas pessimas expavescent, et ad melioris institutionis tramitem divina gratia transferuntur. Sic enim quasi viventes in infernum descendimus quando malorum nostrorum recordatione terremur. Haymo, ad vocem *viventes*, se reflectens, Davidem voluisse dicere inquit, penarum illarum atrocitatem per seriam quamdam meditationem attente et ex proposito esse considerandum. *Descendant, inquit, in infernum viventes*, non mortui scilicet agilitate mentis, sed attendentes penas infernales quæ parantur impiis, recedant a malis. S. Bernardus ad fratres de Monte Dei, hac suggerit expositionem: « *Descendant in infernum viventes*, « ne descendant morientes, dolores ejus revisant, « ut horreant et refugiant. » Michael de Bononia, verba hæc explicans, inquit: « Psalmista orat pro « malis, ut convertantur. Ubi notandum, quod « inter alia quæ peccatorum movent ad conversio- « nem est meditatio penarum inferni. »

e. — O magna caque perversa mundanorum cæcitas, quod id magnum quid et durable aestimant, quod in se nihil est nisi modicum, sicuti divitiis cum sint natura sua labiles et defectivi subjectæ, magni aestimant. Nihilominus tamen si eas ex modico, quod natura sua possident, ad digniorem et securiorem statum evehere velint, eas manibus pauperum consignent. S. Gregorius de divitiis tractans ait: « Si esse divites cupitis, « veras divitiis amate. » Simile consilium in citatis verbis incarnata nobis dat Sapia, inquit: Si thesauros accumulare et conservare vultis, ecce modum: Date elemosynam; *facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Si propter elemosynas sacci evacuentur et pecunia crogetur, cur obsecro, novi præcipiuntur? Ecce vobis rationem: *Thesaurum non deficientem in celis.* Sacci ab auro evacuati in subsidium pauperum, thesauros conglomerant perpetuos in cælo; unde S. Bonaventura: « Indeficiens, « quia non potest amitti per fures: non potest « corrumpi in se; » ideo addit: *Quo far non appropriat, neque timea corrumpit.* Citatque auctoritatem S. Chrysostomi, dicens: « Omnia bona mundi « triplex interitus tollit; aut enim ex se ipsis vete- « rascunt; aut dominorum luxu consumuntur; aut « ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur et « propterea in terris thesaurus indeficiens non po- « test haberi. Qui vult ergo indeficientem habere, « dispergat in terris ut abundet in celis. » Et ideo Psalmista, *Psal. cxi, 9*, de viro elemosinario ait: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia ejus manet in sæculum sæculi.* S. Augustinus proinde quoque inquit: « Non jussit Dominus ut thesaurum perde- « remus, sed locum ostendit, quo poneremus. » Naves, quæ mercibus onustæ mare sulcant, non semper secure revertuntur, sed sæpius, vel a tempestatibus submerguntur, vel depredantur a piratis. Reperiuntur tamen aliqui divites, qui ut mercium suarum securitati consulant, nulli non periculo se exponere non formidant, ut vel tantillum pro centum lucrentur. Naves, quæ per mare hujus vitæ ad fortunatam Paradisi littora trajecturæ, sunt pauperes, quibus si divitiis nostras committamus, tametsi ipsi nonnunquam ob malam ipsorum vitam et mores, in æterna perditionis barathrum submergi possint, non tamen ob id quidquam rerum illis elargitarum nos amittimus, quia Deus est, qui illas securas esse facit, siquidem dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* D. Chrysostomus manum pauperis, sinum Abrahæ appellat, quia sicut hic securum quoddam Paradisi depositum erat, in quo animæ gloriæ, suo tempore percipiendæ, securitatem habebant, ita qui pauperi elemosynam porrigit, securus efficitur, quod illam ad minus in altera vita sit inventurus. « Manus pauperis, » inquit, « sinus est Abrahæ, ubi quidquid pauper « accipit, mox reponit. Thesaurus coli est manus

« pauperis; quod suscipit, ne pereat in terra, reponit in cælum. Da igitur, o homo, pauperi terram, « ut accipias cælum; da nummum, ut accipias « regnum. »

VERSUS 19.

Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quaeritis inter eos, quia dixi, modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.

Cognovit autem Jesus, quia, etc.

1. — S. Thomas hic dicit: « Cognovit virtute « divinitatis suæ, ipse enim sciebat quid esset in « hominibus. I Reg., xvi, 7 : *Hominibus vident ea quæ « parent, Deus autem intuetur cor.* » Hugo Cardinalis notat quod Christus occultas ipsorum cogitationes eis revelando et manifestando, Deum se esse illis ostenderit: « Ostendit se Deum, cum sine ver- « bis eorum, intellexit dubitationem eorum. Jer., « xvii, 10 : *Scrutans corda et probans renes Deus.* » Albertus Magnus similiter dicit: « Cognovit per « illustrationem suæ divinitatis, quia omnia secreta « penetrat. *Eccles., xxii, 28 : Oculi Domini lucidiora « res sunt super selem, aspicientes in absconditis « partes.* »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Prævenit « Christus suscitari aventes, oportune rursus ostendit se, cum Deus sit, corda nosse et quodcumque « mente volutatur, adhuc et in profundo cordis « infossum esse, non secus ac lingua demum expressa « agnoscere. »

3. — Jansenius dicit: « Suo more interrogatio- « nem, quam reverentia aut verecundia retraheret, « bat, prævenit, præoccupatque; adeo est ad do- « cendum promptus pastor et magister optimus, « De Sapia enim scriptum est: *Præoccupat eos, « qui se concupiscunt, ut prior se illis ostendat.* Sap., « vi, 14. »

VERSUS 20.

Amen, amen dico vobis quia plorabit et flebitis vos, mundus autem gaudet: vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Amen, amen dico vobis.

1. — Salvator noster hoc loquendi modo planctus, fletus et afflictiones in servis suis precedere debere ostendit, ne tamen ob hoc diffidentes sibi, animo prorsus desponderent, subjungit, quod post afflictiones subsecute sint consolationes et gaudia sempiterna, eamque promissionem, ut infallibilem nobis esse persuadeat, solemnium juramento corroborare voluit, *Luc., xxi, 33 : Amen, amen dico vobis : Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Quia plorabit et flebitis.

2. — Jansenius Christum in hac, sive protestatione, sive predicatione Apostolis suis facta, non solum ipsos circa imminentes illis persecutiones et contradictiones, premunire voluisse dicit, sed et universam Ecclesiam: « Sic Dominus hunc suum » temperavit sermonem, ut per cum non tantum » Apostoli munirentur contra instantem ipsius tunc » merorem; sed et tota fidelium Ecclesia contra » omnes presentis vite afflictiones et angustias; » itaque hac sententia totum Ecclesie et omnium » gestorum statum pulchre delineavit Christus sa- » pientia Patris; nempe quod eorum sit, ut mun- » danis hominibus gaudentibus de eorum oppres- » sione, ac de bonis presentis vite ipsi luceant, » afflictiones ferant, seseque voluptatibus presen- » tibus subtrahant. »

3. — D. Chrysostomus dicit quod Christus his verbis mortem et crucem significabat, neque enim verba illa de lacrymis et planctu actuali intelligenda esse putat, sed de Martyrum tormentis et persecutionibus, quas in fidei sue et tunc nascentis Ecclesie defensionem tolerari erant. S. Cyrillus Alexandrinus dicit: « Passionem declarat apertius et quanta » ipsi latui essent, pronuntiat. » Qui idem S. Doctor causam declarat, cur Christus has erumnas et adversitates discipulis suis prederit, scilicet non ut illos consterneret et terrorem iniceret: « Non » enim ut prematurum eis terrorem inficeret, ista » predicabat, sed ut eorum cognitione premuniti » adversus terrores ingruentem impetum fortiores » evaderent. »

4. — S. Bonaventura hac verba de planetis discipulorum, in morte Magistri sui habendo, exponit: « Plorabitis gemendo et flebitis lacrymas » effundendo, plorare enim est cum voce gemere; » flere, quasi lacryma fluere et hoc erat crucis et » mortis tempore. » Porro Redemptor noster Apostolos suos super omnes alios majoris aestimabat et amabat, quibus proinde dixit, Joan., xv, 15: Vos autem dicitis amicos; hujus autem erga illos benevolentie et amoris signa vel maxime in ultimo vite sue articulo demonstravit, Joan., xxi, 1: Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos; ex quo autem in ultima cena, et antequam moreretur, testamentum suum stipulare volebat, quoddam inter omnia ipsis relicta locupletius legatum fuisse existimatis? Nimirum: Plorabitis et flebitis. Similiter quando persecutorem Saulum in Apostolum et vas electionis commutavit, quidnam illi specialissime ab illo intimatum fuisse censetis? Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Item quando Petro, ad Ecclesie primatum sublimato, gregem suum consignavit: Pascite oves meas, eidem immediate subjunxit: Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum

autem senex, extendes manus tuas et alius te cinget; hoc autem dicit, significans, qui morte clarificatus esset Deum. Ita quoque Apostolos spiritus et non Filios Dei declaravit illos, qui se a passionibus et tribulationum ferula subducebant, Heb., xii, 8: Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis. Eternæ Veritatis propositio hæc est, Rom., viii, 29: Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui; quibus verbis S. Augustinus utens ait: « In servitio » Dei tanquam uvæ vitis in torculari tribulabuntur, » conterentur et comprimentur, sicut et Christus » præcipue in Passione magnus hōtrus expressus » est. »

5. — S. Bernardus, Ser. ix de Ascens., tristitiam hanc illis a Christo in ordine ad viciniam ejus passionem annuntiatam fuisse opinatur, dum ait: « Quid mirum si tristitia cor eorum implevit, cum » ab eis sese pronuntiaret iterum? Quidni con- » turbarent viscera, concuterent affectus, nec » omnino æquanimiter discessionis ejus sermo pos- » set admitti, ut relinquere eos, qui omnia reli- » quissent: » Jam dixerat illis: Modicum et non videbitis me, merito igitur protinus subjungit, dicens: Flebitis, plorabitis; siquidem jactura, quam anima patitur, dum Deum amittit, omnique ejus amicitia et gratia destituitur, infelicitas quedam est et sanguineis lacrymis inconsolabiliter deploranda.

Mundus autem gaudebit.

6. — Aleuinus, a S. Thoma in Catena citatus, dicit: « Cunctis fidelibus convenit hic sermo Do- » mini, qui per lacrymas, pressurasque presentes » ad gaudia æterna contendunt, flentibus autem » justis, mundus gaudet, quia in presenti delect- » tantur, aliter vite nulla gaudia sperantes. »

7. — S. Bonaventura ait: « Nomine mundi, » malitia hujus mundi intelligi potest, id est, ami- » corum, mundi, prout dicitur: Quicumque voluerit » amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. » Jac., iv, 4. » Unde idem Seraphicus Doctor differ- » entias, que hos inter et servos Dei conspiciunt, considerat: « In isto medio justi plorant hic pec- » cata sua et aliorum: beati qui lugent; » non vero sic accidit inter mundanos, sed oppositum contingit: « Sed mundus gaudebit in vanitatibus, » et voluptatibus, et cupiditatibus. » Ecl., vii, 5: Cor sapientum, ubi tristitia; cor stultorum, ubi lætitia. Væ vobis, qui nunc ridetis.

8. — Albertus Magnus vocabulum mundus exponens, dicit: « Mundus, hoc est, mundani in divitiis » et ambitione viventes. » S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Hoc est, qui sapere nequeunt, quæ Deo pla- » cent, sed mundi voluptatibus quodammodo sunt » affixi. » Rupertus Abbas, in Joan., ait: « Mundi » hujus, inquit, immundi, qui suis immunditiis me

« adversantem odit; mundi inquam, id est, ama- » torum mundi; inde gaudium erit, quia vado ad » Patrem, quem tamen ille nescit. » S. Thomas quoque per mundum homines sensuales intelligit: « Universaliter mundus, id est, homines carnales, » gaudebit in rebus mundanis. » Pulchre vir mundanus suis in gaudiis et vanitatibus immersus, apud Jobum, xxi, 7, depingitur; dicit enim: Quare ergo impij vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis: demum vero, postquam felicitatum temporalium, quibus hic gaudent, longum tenuisset catalogum, tandem concludit: Tenent tympanum, et cytharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt; et quid mirum est, quod brevi temporis spatio hic hilares esse permittantur, qui in inferno per omnem æternitatem plangere debent. Idem Job, postquam dixisset: In puncto ad inferna descendunt, immediate subjungit: Qui dicunt Deo, recede a nobis, scientiam tuarum tuarum voluimus; quis est Omnipotens ut serviamus ei? Communiter enim illi, qui hic cupiditatibus et vanitatibus suis omnem licentiam indulgent, circa vitam futuram parum credunt, quia paradusum hic in terra se habere fingunt; at vero, ut S. Bernardus, in Ser. v post Domin. II Quadrag., ait: « Sicut fulgur tonitrua » portat, ita prosperitas supplicia sempiterna pro- » nuntiat; » ad eum modum, quo dum bovem aliquem ab aratro solvi, et ad impinguandum eum ad pascua duci videmus, eundem macello destinatum esse infallibiliter conjeimus.

9. — S. Thomas hac verba quoque de tempore Passionis intelligi posse dicit, quando nimirum persecutores ejus de ejus crucifixe gavisuri erant: « Et si mundus, id est, Scribæ et Pharisei, » gaudebit de occasione Christi; vel mundus, id » est, mali, qui sunt in Ecclesia, gaudebit in per- » secutione sanctorum. » S. Cyrillus ultra jam adductam expositionem adjungit: « Rursus vero » significat vilem et abjectam illam Judæorum » multitudinem, et Principum phariseorum, Deo » et impiam, Scribas et Phariseos. » Simili modo Albertus M. verbum gaudebit exponit, dicens: « Gaudebit, tamquam si de me triumpha- » verit, et me deleverit, et non sit de cetero, qui » arguat malitiam ejus. »

Vos vero contristabimini.

10. — « Scilicet tempore Passionis, » inquit S. Bonaventura, « sed tristitia vestra vertetur in gau- » dium tempore resurrectionis, prout ait Propheta, » et Psal. xxix, 6: Ad vesperum denorabit fetus, et » ad matutinum lætitia, quo surrexit Dominus. » Et ideo alius quidam vir sanctus ita scribit: « Fir- » mum est mihi propositum nunquam ridendi; » quoniam audiam ex ore Dei illa verba: Venite » benedicti Patris mei; neque flere desistam, donec

« liber sim ab illa sententia: Ne maledicti in ignem » æternum. »

11. — S. Bernardus, de modo bene viv. Sermon. lxxv, verba illa Sapientis: Bisum reputavi errorem, et gaudio dicit: Quid frustra desperis? considerans ait: « Error dicitur, quando aliquid fieri debet, et » aliud; tunc ergo fit error, quando ille, qui debet » plorare, ridet; ideo risus dicitur error, quia dum » quisque ridet, diem mortis sue ipse in mente » sua non habet, huic tamen errori servi Dei hæc » quaquam subjacent. »

12. — Advertendum hoc loco est, quod Christus afflictionem et planctum justorum, gaudiis opponat hominum mundanorum, quia illi ex zelo honoris Dei iniuriis affecti, et ex compassionem, qua erga illos feruntur perditionem, stimulat tristitiantur et affliguntur pro illorum salute intercedendo, suaque penitentia et austeritate divinam placare justitiam satagunt, ut eos ad respicientiam, viteque emendationem tandem perducere dignetur. In vita S. Catharinæ Senensis legitur quod, dum ipsa eo tempore, quo bæchæanalium vanitates in summo fervore erant, penitentis vite sue rigores magis magisque adaugeret, Coelestis Sponsus in Feria V que Dominicam Quinquagesimam accedit, digito illius anulum pronubum inserere dignatus, hæc eam verbis allocutus fuit: Dilecta filia mea, quia tu mundi vanitates spreveris, me solum summum æternitatis bonum ardentem querendo, omnibusque carnis voluptatibus spreto, cordis tui delicias in me solo repositas habuisti, idque hoc præcipue tempore, quo alii domus tue familiares in conviviis, ludis, choreis, etc., inaniter se recreant, ideo hodie ego sponsalium animæ tue festivitatem tecum celebrare, tecumque mihi in stabilissima fide desponsare decevi.

13. — Apostolus ad Galatas, v, 19, ita scribit: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc. Postquam vero mundanorum gaudiorum tenuisset catalogum, longam quoque seriem recenset earum, quas justus et servi Dei patiuntur, afflictionum: Fructus autem spiritus charitatis, gaudium, pax, patientia, etc. Ac demum de fletu et planctu illorum concludit: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis.

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

14. — S. Bonaventura hoc loco, an Apostoli idipsum meruerint, inquit; dicit enim: « Quari- » tur hic magistraliter, an Apostoli meruerint, et » videtur quod sic, quia si compatimur, et conre- » gnabimus, sed ipsi compatiebantur tristando; » item illam tristitiam secutum est gaudium. »

15. — Albertus Magnus hæc ita exponit: « Ver- » tetur in gaudium, in resurrectione, in appari- » tione, in ascensione, et maxime in Spiritu